SCHEMATISMUS

MISSIONARIAE PROVINCIAE

BOSNAE ARGENTINAE

FRATRUM MINORUM OBSERVANTIUM

CURA

ADMODUM REVERENDI PATRIS

STEPHANI MARIANOVICH

DE LIPNICZA

MINISTRI PROVINCIALIS EJUSDEM

RECUSUS PRO ANNO

MDCCCXL.

ZAGRABIAE.

TYPIS R. PRIV. ILIR. N. TYPOGRAPHIAE DRIS. LJUDEVITI GAJ.

1840.

Fratres Vicariae Bosnae facti sunt murus inexpugnabilis pro fide Catholica.

Eugen IV. in Bull. 1444. edita.

Attentis bonis relationibus ad hanc S. Congregationem (*de Propaganda Fide*) a Domino Cardinali Piazza Nuncio Apostolico Viennae, de laboribus Patrum Minorum Bosnensium ... ipsa S. Congregatio remanet aedificata in istis bonis Religiosis ...;

Card. Sacripantis dd. 12. Septembris 1712, ut in Archiv. Provin.

Lectoribus benevolis salutem.

Ut facultates non admittunt, ita nec intentionis nostrae est, statum *schematismi* instar Missionariae hujus Provinciae nostrae Bosnae Argentino - Othomanae, quovis anno beneficio typi luci publicae committere; cum id ob defectum hic Typographeorum ad vicinas regiones imprimendi fine transmittendo, non solum majores expensas requirat, sed etiam in magnum discrimen, ob status politici, maxime his temporibus avitam suspicionem, nos conjiceret. Idcirco placuit pro hoc solum anno (paucis additis, aut immutatis) recudere eum, quem anno 1836 Anconae in Italia primo luce publica donavimus, idque pluribus ex motivis; atque ut praetereamus, quod hoc in merito voluerimus alios quoscumque, et ubique Ecclesiasticos, et Religiosos status, etsi serius imitari; praecipuum prae oculis habuimus, ut felicissimis, nosque adversus munificentissimis Latii, Austriae, et Pannoniorum Regionibus palam faciamus, quibus in obscuris hisce, cultoque orbi parum notis, ac barbarie undique misere pressis Bosniacis plagis, laboribus, curis, occupationibus, et studiis distineamur, quantumve in propaganda, enutrienda, ac conservanda Religione salvifica post majores nostros desudemus, medios inter ejus non parum etiamnum feroces hostes, continuum quasi martyrium, intus timores, et foris pugnae experiundo, ducentes, ut sic praelaudatarum Regionum beneficos e quocumque statu Mecaenates (quos forte saepe importunis precibus ad subsidium ferendum fatigamus, et dispersa

juventute nostra, genio inculto nonnihil subin indulgente molestamus) benigniores in illis excipiendis, ac in hujus molestiis perferendis aequanimiores efficiamus, unaque gratitudinem nostram his omnibus caeterisque, quos nobis recte prae multitudine levare, ac messi copiosae satis facere nequeuntibus suppetias tali modo ferendi pietas, zelusque singularis exstimulat, manifestam tenero cum animi sensu reddamus, qua prompte, sincereque exhibita, novas utique promereri novimus gratias, quibus porro cumulari, imo amplioribus quam impensissime istis commendatos nosmet intendimus; non quidem ex eo, ut quasi benefica manu ditati, aut juvenum nostrorum ab his liberaliter educatorum numerosiores effecti speciem dominatus, saeculi auram, majorem libertatem, vitae commoda, aut Provinciae qua pure talis incrementum vani aucuparemur (nam his omnibus, etsi vi Instituti non libenter forte, ex avita saltem consvetudine necessario carere didicimus); sed ne unice Christi nomen, Religionisque Catholicae cultus in florente condam Regno, quam per tot saecula infernalis stigius, saevitie barbarorum callide usus, exturbare, aut extingvere minime poterat, defectu sacrorum operariorum, aut horum subsistentiae, irreparabilem jacturam faciat, aut totalem extinctionem experiri debeat, velut in aliis vicinis Provinciis simili jugo pressis ob easdem rationes pridem factum dolenter conspicimus — Gratitudinem inquam nostram hisce testatam cupimus, id quod priori editione aegre, et minus congrue praestare potuimus, eo quod tum ob temporum adjuncta properanter ea prelo subjici, proindeque minus emendate eo liberari debuit, tum quod in paucioribus, et parum ad decorem formatis copiis prodierit, quam ut omnibus, quibus obstricti sumus, sufficienter, et ut decet, offerri potuerit. — Is itaque conspectus, status subsistentiae, quam aliis debemus, laboris, et studii nostri, quae Deo, Religionique impendimus, ac debitae gratitudinis, quam exhibemus, sincera testatio erga om-

nes jam commemoratos, et porro commemorandos munificentissimos Benefactores nostros, ac vineae copiosae Domini, ejusque cultorum beneficos sustentatores, sit monimentum perenne obelisci instar, nullo temporis tractu interituri. *Condignum enim est, ut ei se totum reddant, cui debere recolunt et Originem, et profectum.* S. Hilarius.

Reverendissime Pater!

Tenue hoc, atque rude opusculum, quo Provincia Bosnae Argentinae, Tui Pater Reverendissime! devota, humilisque filia veteres evolvens Fastos, suam strictim repetit originem, progressus, variasque vicissitudines, et in quo sui praesentem exhibet statum, Tibi uni vel hoc solum nomine omnino debetur, quod totius seraphicae hujus familiae Cis-montanae Pater, atque Rector clarum naviculae Divi Patriarchae, suppetias, militanti Ecclesiae coetu suo ferentis, summo teneas imperio. Quod si Tua pateretur modestia, ut quam solicitus sis, ac benignus Pater, quamque prudens, et sapiens Rector paullo adcuratius exprimeretur, tum demum evidenter appareret, non hoc munusculum modo, sed nos etiam totos Tibi in odore filialis amoris, atque pietatis esse offerendos. Quid non brevi tempore tanti svavitas Patris, quid non praestitit prudentia Rectoris? Hoc liquido probat crescens ubique, atque semper magis efflorescens inter subjectas Tibi Familias religiosas mirabilis fraternae dilectionis harmonia, vigor item disciplinae, solerti Tua roboratae cura, et priscae spiritus observantiae cupidissimus. Suavi etenim, ac prudentissimo summae Auctoritatis usu erigis ubique, quod erat collapsum, quod obliteratum, renovas, quod reformandum, emendas verbo, exemplo, doctrina,

non ficta caritate. Et licet remoti, marique ipso a Te, Reverendissime Pater, existamus diremti, non possumus tamen obsurdescere ad famam clarissimam de sublimibus Tuis volitantem virtutibus, de benevolentia, de comitate, de ingenua cordis sinceritate, animique candore, quibus omnibus Te efficis amicum, efficisque carum. Jubet nos modestia Tua silentio praeterire eximia illa merita, quibus oculos in Te primum traxisti Regiae Siciliarum Majestatis, ut ab eo pro rebus Ecclesiasticis Theologus constitueréris, quaeque etiam Pontifici Te summo, atque sacro Christiano propagando Nomini Consilio, ita acceptum reddidere, ut Te Regimini Cis Montanae seraphicae Familiae auspicatissime Praefectum, atque inter suos cooptatum Consultores omnes gratularentur. Felix Ordo! felices Familiae religiosae! quibus talis Rector, tamque amabilis obtigit Pater. Felix, et isthaec Provincia Bosnensis, si observantia religiosa, vitae probitate, studiisque pro Fide suis, ac laboribus, tam sagaci, tamque oculato Judici se aliquatenus probare poterit.

Qualescumque demum sumus, Te Pater oramus Reverendissime, ut omnes, singulosque nostrum hoc in libello recensitos, in signum obsequentissimi Tibi, devotissimique animi, tamquam totidem filialis pietatis oblata pignora, benigne excipias, atque paterna, uti soles, caritate, indulgentia, providaque cura complectaris.

Nostrarum vero semper erit partium, id unum quam maxime curare; ut Religionis studio, integritate vitae, et prompta in omnibus obedientia tanto Patre digni efficiamur filii. Nec devotas identidem repetere cessabimus preces, ut svavis Divina providentia, Te ad alta vocatum, pro Ecclesiae suae, Ordinisque Seraphici utilitate, atque decore, sospitem quam diutissime servet, atque incolumem...

Quae Dedicatio quam lubenter pro nostro solatio acceptata fuerit, en ex datis ad editorem litteris patet:

Reverende Pater Observantissime!

Catalogum Provinciae Bosnensis mihi dicatum cum laetitia excepi, et grati animi mei sensu motus Tibi, Tuoque A. R. P. Ministro Provinciali perennem benevolentiam ex corde servabo. In pignus tandem mei amoris, et solicitudinis erga totam meam minorum Bosnensium familiam Seraphicam Benedictionem peramanter impertior, et in maxima consideratione permaneo.

P. V. R.

Romae ex Ara coeli die 21a Aprilis 1835.

Addictissimus in Dno. servus
Fr. Joseph M. ab Alexandria,
Vicar. Glis.
Nunc jam ab Anno 1838 Minister Generalis.

ORIGO ET PROGRESSUS
VICARIAE DEIN PROVINCIAE
BOSNAE ARGENTINAE
FRATRUM MINORUM DE OBSERVANTIA.

Flagrans fidei salvificae propagandae, et pietatis Christianae promovendae ardenti studio; haeresium item, et vitiorum, quae seculum suum foede coinquinaverant, exstirpandorum, succensus desiderio Divus ab Assisio Franciscus, Ordinem Minorum Dei nutu anno 1208 fundat, ac solemnem ab Honorio III. per Bullam: Solet annuere etc. confirmationem obtinet. Cujus laeta initia, miramque plane propagationem conspiciens filios, Fratresque suos pari studio, et zelo inflammatos quaqua versum mittit,

qui Evangelii praedicatione, et vitae probitate, atque efficacissimis exemplis, fidei integritatem, ac morum candorem in patentem reducerent orbem. Quam missionem sui successores solerter prosecuti, effecerunt, ut intra breve tempus 25to scilicet ab exordio fundati Ordinis anno, fratres huiusmodi Dei zelo ducti, primo quidem qua Missionarii, et fidei Quaesitores, Illyricum quoque, cujus pars non minima tunc Banatus, dein Regnum Bosnae erat, percurrentes, tum sensim multiplicati, et pro ratione Instituti, communem in vitam coeuntes, Custodiae Bosnae dictae initium dederunt: quae deinde anno 1260. Ordinis vero 52. in Capitulo Narbonensi, per D. Bonaventuram celebrato, *Vicaria Bosnae* appellata, octoque Custodiis jam tunc aucta, ac anno 1340, ut talis, sub *Gerardo Odonis* totius Ordinis Ministro Generali, nonnihil imminuta, et forte relaxata, novitus instaurata exstitit. Sub quo nomine diu militans, ingentes fructus in convertendis infidelibus, ac haereticis ad sinum Ecclesiae reducendis, fecit (1), proque Orthodoxae fidei, nec non Divini cultus, ac religionis augmento plurimos labores, adeo fructuose impendit, ut Thomas Pharensis Episcopus S. Sedis Legatus apud Bosnios, non dubitaverit 1451. (2) S. Joanni a Capistrano de eorum frugi laboribus scribere: »*Fratres Bosnae tanto fructu laborare in convertendis haereticis, quod ex locis occupatis per haereticos, statim, ut fratres habitacula sibi aedificant, evanescunt haeretici, ut cera a facie ignis.* — Vigilius vero Greiderer insigni elogio eosdem condecoravit: »Fratres Vicariae Bosnae« inquiens (3) »haud »segnes duxerunt dies, utpote modo Catholicos in vera »fide solidantes, jam inquisitorum munia infracto animo »sustinentes, illinc haereticos suis erroribus insistentes, »in exilium agentes, ibi frequentes Schismaticorum co»pias ad legitima Christi castra revocantes, Coelo in »gloriam, Orco ad invidiam nati.« Nihil idcirco mirum, si post alia variorum Pontificum splendida encomia. Eugenius IV. in Bulla »*Super Gregem*« de anno 1444. illud

singulare eisdem tribuerit, quod scilicet *murus pro domo Dei inexpugnabilis facti videantur;* et ab eo, ac aliis summis Pontificibus ejus *Praesides*, seu *Vicarii*, *Visitatores* et *Commissarii Apostolici*, cum potestate, qua pollent in ordine Generales, *Inquisitores haereticae pravitatis*, per omnia Regna *Bosnae*, *Hungariae*, *Slavoniae*, *Croatiae*, *Carnioliae*, *Serviae*, *Moldaviae*, *Valachiae*, *Russiae*, *Transylvaniae*, *Scythiae*, per quae Vicaria Bosnensis in septem divisa Custodias, latissime a mari Adriatico, usque ad fines Tartariae, et montes Carpaticos, imo plane ad Rhenum extendebatur, perpetuo instituti, ac deputati fuerint, innumerisque, ac sane mirandis privilegiis aliis, ut apud Gonzagam (4), pluresque alios legere est, condecorati exstiterint, quorum utpote, sicut doctissimus Greiderer Lib. II. Nro. 4 asserit: »Virtus non aliter, ac au»rum in igne probatum videbatur, quippe, qui haberent tot sanctissimos sui Rectores Vicarios, vel Commissarios, velut »Jacobum de Marchia, Joannem a Capistrano, »Nicolaum ab Auximo, Peregrinum de Saxonia, aut ab »Asculo, Fabiánum de Bachia, Bernardinum de Fossa, »Angelum Zvizdovich« aliosque, quam plurimos, sanctitate, et virtute conspicuos viros.

Haec Vicaria, velut foecundissima Mater, sub hoc adhuc titulo plures procreavit non infoecundas filias, partim immediate, partim mediantibus subdivisionibus, uti Provinciam S. Nicolai in Apulia, quae subin in duas abiit (5); Provinciam deinde *Dalmatiae S. Hieronymi*, quae *Raguseam* progenuit, (6) tum *SS. Salvatoris in Hungaria*, et Provinciam *Bosnae Croatiae* (7) dictae dein *Carnioliae*. Adepta vero dignitatem seu titulum Provinciae Bosnae (8) cum epitheto Argentinae (9) vigore Decreti, facti in Capitulo Gen. Aquilano 1514, et confirmati anno 1517 a Leone X. quum adhuc late pateret per magnam *Hungariae* ac *Dalmatiae* partem, item per *Slavoniam*, *Syrmium*, *Bulgariam*, *Transylvaniam*, totamque *Bosnam*, non desiit porro alias procreare filias, veluti *Transylvaniae* anno 1640. absolutam

Custodiam; tum *Bulgariae* anno 1645 pariter independentem Custodiam, quae dein utraque titulo Provinciae decorata est. Anno autem 1735, Provinciam alteram *Dalmatiae* sub titulo *S. Caji*, nunc *SS. Redemptoris*. Demum post varias vicissitudines anno 1735 Conventus hujus Provinciae in Hungaria, Slavonia, et Syrmio existentes, quacumque demum, vel utraque parte agente a Bosna sese separarunt, et novam sub titulo S. *Joannis a Capistrano Provinciam* constituerunt. Bosna vero, sub Dominio Othomanico fatiscens, cum per hanc postremam, ad tres tantum modo Conventus, atque sex Residentias, divisionem, redacta fuisset (caeteris omnibus suis Conventibus, injuria hostium Crucis Christi in rudus abeuntibus) in simplicem Custodiam redacta sub titulo *S. Crucis*, se suo gradu, atque prisca dignitate dejectam indoluit. Sed mox anno sequente 1758 auctoritate *Clementis* XIII. cum titulo, praecedentia, suoque veteri Sigillo (10) ita in pristina jura fuit restituta, ac si numquam sede sua mota fuisset.

Sicque antiqua, gloriosa, ac foecundissima condam Mater, numero Conventuum, et fratrum imminuta quidem, omnique libertate, et securitate spoliata, sibique soli relicta, ac velut Anna prophetissa (11), *quae multos habebat filios infirmata*, ingemuit, numquam tamen de fortitudine, virtute, zelo, et constantia remittens, duris laboribus, et periculis succubuit, sed pia aemula tot Patrum, Fratrumque suorum, qui se murum inexpugnabilem pro domo Dei posuerant, effecta, Vineam Domini Sabaoth excolendo, ac salvificam fidem inter tot adversitates infidelium, et heterodoxorum illibatam servando, non exiguos fructus in Ecclesia Catholica faciebat (12), velut exceptis aliis bene multis *Prayus* diserte testatur, *Fratrum* dicens *Minorum in eam regionem* (Bosnam) *merita nemo unquam satis praedicaverit, cum illis servatam isthic Religionem Catholicam fere unis debeamus*. Quod ipsum notus a sinceritate Auctor Farlatus (13) luculentis verbis com-

probat: *Et sane* inquiens, *quod in illis Dalmatiae partibus, et reliquis Illyrici provinciis, quas Turcae occuparunt, et Rascianus ritus cum schismate Graecorum conjunctus, invasit, adhuc exstent, serventurque Christianorum reliquiae ab omni turcica, et schismatica contagione intactae, id secundum Deum Patribus Franciscanis de Observantia cognominatis, eorum vigilantiae, laboriosae curae, atque industriae, incensae erga Deum, hominesque charitati, attribuendum est, quos neque rerum inopia, neque incommodorum, ac difficultatum magnitudo, neque periculum vitae, aut libertatis amittendae, ab illarum Gentium salute procuranda deterrere potuerunt.*

Sola ergo haec Provincia inde ab anno 1757 per se quodam modo existit, majora quidem semper Deo adjuvante incrementa indies capiens, numero tam Fratrum 282, quam fidelium prope 150,000 aucto, neque ei aliud deest, quominus aliis, idque majoribus quibusdam Provinciis comparari possit, nisi unicus defectus sublimiorum studiorum; nam ad horum Cathedras erigendas non solum Monasteriorum angustiae, quae utpote barbaries dilatare hucdum non sinit (14), sed et defectus facultatum, quas ceteroquin tenues in redimendis vexis potissimum, ac in minorum scholarum juventute fere semper 60, et ultra individuis constante (15) educanda insumimus, nobis obstaculo sunt; imo commodo, et lucro animarum pro debito ministerii intenti, ac idcirco per totum captivum Regnum montibus, vallibusque perruptis magna parte asperum dispersi; ad haec, etsi alia media adessent, et obstacula removerentur, non sufficimus, cum alioquin unicuique sacerdoti facta aequa distributione, neque invalidis, et senio confectis exclusis, ultra mille animae dirigendae obtingerent.

Hunc tamen defectum a tot saeculis, et maxime a quo sejuncta a Christianorum partibus remanserat, invalescentem, supplet in Italia Romanorum Pontificum, ac S. de Propaganda Fide Congregationis Apostolica sollicitudo, Superiorum item Generalium, ac fere omnium

in Italia nostri ordinis Provinciarum summa pietas, qui, velut suos, nostros Juvenes suscipiunt, educant, fovent, quin et pro honore ejusdem Provinciae ad Cathedras promovent, et Jubilationis laurea condecorant. — Supplet item maximam partem, Caesarum, Regumque Hungariae Apostolicorum magnifica liberalitas, et Praesulum, Canonicorum, ac aliorum insignium ex utroque statu Benefactorum liberalis Gratia, atque Superiorum Provincialium utrobique insignis caritas, qui certatim quodam modo, spe utique solius praemii coelestis allecti, nostris alumnis ad suos lares admissis, sollicitam, et nihilo minorem, ac suis impendunt opem, et operam, quo eos verae Religionis strenuos in vinea hac operarios parent, perficiantque.

Cum itaque Fratres Bosnenses inde a primordiis fere Seraphicae Religionis, et praesertim ab exordio captivitatis 400 prope jam annis durantis, ad haec usque tempora pro Fide inter diversos haereticos, dein infideles intrepide decertarent, atque Missiones Apostolicas, nullo interrupto tempore, quadam velut haereditate excolerent, sicque de utraque Republica optime mererentur. Visum idcirco fuit pluribus Augustis Caesaribus, Regibusque (16), item summis Pontificibus, atque Generalibus Ordinis Ministris, eosdem variis favoribus, Gratiis, et privilegiis omni aetate prosequi, atque decorare. Intra quae illud memorandum, quod vita functo Vicario Apostolico in Bosna, ipsa Provincia e proprio gremio, suisque filiis, jam ab anno 1635, et praesertim 1735 successione inviolata (postquam scilicet difficilior, nobisque periculosior proprio Bosnensi, seu Diakovariensi aliisque vicinioribus Episcopis aditus isthuc ob hostium diversas machinationes redditus fuisset) aliquot Religiosos viros pro futuro Episcopo, et Vicario Apostolico a S. Sede eligendo, nominandi honorem habeat. Toto vero intervallo, quo sedes Vicarialis vacat, donec novus successor instituatur, totus honos, onusque jurisdictionis demortui Vicarii Apostolici, ejus-

dem S. Sedis gratia recidit in Ministrum Provincialem pro tempore existentem (17).

Hujus itaque amplissimae condam, et vetustae primum Vicariae, dein Provinciae, jam nunc, post varia fata intra limites solius Regni Bosnae contractae, tres dumtaxat residui adhuc Conventus cum adnexis Ecclesiis hic eo Ordine, cum respectivis Familiis recensentur, quo primitus videntur probabilius conditi, nullo horum peculiarem aliquam praerogativam sibi arrogante; ceteris quam plurimis aut desolatis, aut ab hostibus solo aequatis, quorum rudera uti nos ad lacrymas, ita illos ad insolentes insultus contra adhuc existentes variis sub praetextibus concitant.

In his residuis Conventibus, et phoenicis instar post fata resurgentibus, talis omnino quoad omnia regularis disciplinae observantia, vigili sub Superiornm inspectione, conservatur, qualis in optime constituta quacumque reperitur Provincia. In quolibet etiam coenobio Tyrocinium, seu Novitiatus juxta Praescriptum Constitutionum Apostolicarum, Legesque Ordinis stricte servatur, in quo adolescentes ita in via vitae contemplativae instituuntur, ut futuri quoque earum ministerii ratio prae oculis habeatur. Scholae insuper Latinae Lingvae, et Humaniorum disciplinarum nunc jam magis ordinatae reperiuntur, quas pro ordine candidati; aliique jam religiosa veste donati, sub duorum, subin trium in quolibet Monasterio Professorum, uniusque Directoris vigilantia frequentant.

Singulus praeterea horum Conventuum Gvardianus est una etiam, ab immemorabili Ecclesiae, locique Parochus (18), ad cujus nutum ceteri Religiosi, quaevis spiritualia servitia, et solatia Fidelibus sedulo praestant. — Etsi etiam ex speciali S. sedis privilegio Syndicus Apostolicus, cui Parochi ad respectivum Districtum spectantes qua substituti Eleemosynarum perceptarum, et expensarum rationem reddere tenentur. — Sunt item Gvardiani Tribunalibus Politicis, in omnibus negotiis rempublicam profanam concernentibus, tanquam Capita Catho-

licorum subditorum responsabiles; idcirco novis Veziriis, Mullis, et Judicibus cum ceteris Provinciae, aut Districtus respectivi Primoribus Turcis, se sistunt, homagia deferunt, Diplomata Imperialia (Fermanos) ad liberum Religionis cultum, et diversas immunitates spectantia exhibent, seque inviolatae fidelitatis erga Monarcham, et Sublimem Portam loco omnium Sponsores, ac Vades interponunt, ob quod a Vezirio cum speciali quadam Caerimonia publice honorario pallio (Binjish) benevolentiae ergo, condecorantur: Quod ceterarum Religionum (Tunica utique excepta) capitibus, licet majorem longe, quam Catholici, summam aeris pendere cogantur, denegatur.

Regitur vere haec Provincia, more aliarum Ministro Generali subjectarum, juxta Pontificum, Ordinisque nostri constitutiones ab uno Ministro Provinciali, uno Custode, et quatuor Definitoribus omni triennio reeligendis. — Quae electio, ut legitima fiat, vergente ad finem tertio a priori Capitulo anno Superior Provincialis promulgat Commissarium Visitatorem Generalem, quem vigore privilegii, ex Hispaniae Comitiis anno 1670. obtenti, in praecedenti Congregatione cum Patribus Definitorii e suis semper Alumnis eligit, atque ita electum Ministro Generali confirmandum, futurique Capituli Praesidem designandum repraesentat. Quoad Missionarios vero in Cura animarum constitutos, reguntur hae Missiones Bosnenses per supra fato modo e gremio nostro electos, et a sede confirmatos Episcopos Vicarios Apostolicos, qui jure cumulativo, ut dici amat, cum Ministro Provinciali, et Definitorio, prout videlicet variae Decisiones S. Congregationis de Propaganda Fide ferunt, Parochos Missionarios gubernat: Hujusmodi ad praesens Vicarium Apostolicum habemus Illustrissimum, et Reverendissimum Dominum Fratrem Raphaelem Barishich Episcopum Azoti, qui ante in Italiae praecipuis Civitatibus summa cum laude severior s tradidit disciplinas. Residet autem ad S. Joannem Suttiskae in recens erecta parte Conventus.

NOTAE.

«1) Hi siquidem sub ipsa S. Ordinis primordia hanc Christi «vineam per annos amplius quingentos, nullis vitae periculis perter- «riti excoluerunt. Farl. qui scripsit anno 1750. Illyr. S. Tom. IV. p. 41. «Ochevia Epit. ant. Prov. Bos. Csevapovich Cath. Synop. memor. etc.

«2) Farlatus. Greiderer in diversis locis.

«3) Libro II. Nro. 9.

«4) Tom. I. par. 2. pag. 585.

«5) Ibidem pag. 459.

«(6. 7. 8. 9.) Idem ibidem diversis paginis. *Argentina* ita dicta «ob multos argenti feraces montes, tum etiam a principali suo Con- «ventu in loco Srebrenicza (Argentina) nuncupato, nunc autem ab «anno 1686 sub ruinis delitescente.

«10) Secula Seraph. Ochevia, et alii

«11) 1. Regum. 2. 5.

«12) In Spec. Hier. Hung. par. II. pag. 437.

«13) Illyr. S. Tom. IV.

«14) Ochevia Epit. Vetust.

«15) Silendo de iis individuis, quae in exteris regionibus educantur.

«16) Vide ramum viridantis Olyvae, Ochevia, Csevapovich, aliosque.

«17. 18) Ochevia.

DE VICARIIS
ET
MINISTRIS PROVINCIALIBUS.

Quamvis plurium scriptorum tam domesticorum, quam exterorum auctoritate innixi non infundate institutionem Vicariae Bosnae Argentinae ad annos praecedentes Gerardi Odonis adventum, incidentem in annum 1339. reposuerimus; et tunc solum magis auctam, propagatamque, ac ad instituti rationem melius redactam non invalide, uti opinamur, asseruerimus; Catalogum tamen Vicariorum, qui huic praesidebant, nuspiam in Archivis, ante praememoratum annum 1339. reperire poteramus. Legitur tamen in nonnullis Necrologiis Almae Provinciae Capistranae annò 1260. Budae mortuum P. Joannem II. Vicarium Vicariae Bosnae virtutibus clarum, sub die 5. Januarii. — Is vero Catalogus, qui subsequentium annorum Vicarios continet, in multis mancus, nec apud omnes aequalis est, seu quod idem Vicarius hoc munere saepius plures per annos functus fuisset, seu quod adnotantibus nonnullorum nomina exciderint. Pleniorem tamen, et adcuratiorem ceteris ea, qua potuimus diligentia confectum, hic subnectimus, *ut laudemus Viros gloriosos, et Parentes nostros in generatione sua Eccl.* 44.

I.

VICARII, VICARIÆ BOSNÆ.

1340. P. Peregrinus ab Asculo, aliis Saxonia. De hoc Martyr. Ord. ad diem 28. Januarii.
1349. P. Martinus de Ast Italus.
1350. P. Franciscus de Florentia.
1356. P. Lucas de Hungaria.
1361. P. Zotaldus de Florentia.
1363. P. Franciscus de Florentia secundo.
1367. P. Bartholomaeus de Alvernia, rexit annis prope 40.
1408. P. Petrus de Skena aliis Seona.
1411. P. Henricus de Polonia.
1416. P. Mathias de Anglia.
1420. P. Blasius de Hungaria.
1427. P. Joannes de Korzula.
1432. S. Jacobus de Marchia, una Commissarius Generalis.
1436. P. Nicolaus de Tragurio. Ex Boman. Tom. II. L. 8. pag. 340.
1441. P. Joannes de Baja. Biennio ante Commiss. et Inqu. Haeret. prav.
1444. P. Fabianus de Bachia (Bacsino) Inquisitor Haer. pravitatis, et Commissarius Apostolicus extensive etiam ad Successores, perpetuo ab Eugenio IV. constitutus.
1445. P. Marinus de Spalato Capitulum praesente Rege Ostoja in *Vesela Straxa* prope Skopje servavit.
1446. P. Michael a Jadera interfuit Comitiis Regni in Konjicz.
1454. P. Rupertus Liciensis. Is non fuit cofirmatus a Vic. Gen.
1455. P. Philippus a Ragusio.
1458. P. Angelus Zvizdovich a Varbosania, non Herbosa.

1461. P. Marinus de Korzula.
1464. Beat. Bernardinus a Fossa. In Vita adhuc miraculis clarus.
1467. P. Dominicus a Bonissa, aliis Gorissa Placentinus.
1495. P. Bernardinus de Caymis, una Commissarius in pluribus locis.
1498. P. Angelus Zvizdovich, de quo Martyr. Ord. 7. Junii.
1512. P. Petrus de Bosna seu Mili de Miloshevo.
1515. P. Antonius de Jezero, ultimus Vicarius, utpote Bosna anno 1517 erecta in Provinciam.

II.

MINISTRI PROVINCIALES.

1517. P. Antonius de Jezero ex Vicario factus Provincialis.
1520. P. Blasius Kovacsich a Kreshevo, dein Episcopus, qui fugiens tyrannidem Turcarum Drino submersus fuit.
1523. P. Stephanus Kucich Dalmata, sub quo plurimum Fratres Bosnenses a Turcis passi sunt, decem eorum Sarajevii occisis, ipso vix manus Tartarorum effugiente; plures item Conventus solo aequati.
1526. P. Thomas Skoroevich Sutt. postea Episcopus ab infidelibus occisus.
1529. P. Matthaeus, aliis Antonius Matkovich.
1532. P. Franciscus Ramanovich a Rama.
1535. P. Daniel Vladmirovich. Postea Episcopus ab infidelibus occisus.
1538. P. Petrus Zlatarich a Suttiska,
1541. P. Gregorius Bukovacz a Narenta.
1544. P. Paulus a Konjicz.
1547. P. Augustinus Vasiljevich a Velika.
1550. P. Joannes de Mostar.

1553. P. Simon a Kamengrad.
1556. P. Elias Ivkovich a Fojnicza.
1559. P. Petrus Runovich ab Imota.
1562. P. Jacobus a Salinis Superioribus.
1565. P. Marianus a Plumbo; quo mortuo Vicarius factus est.
P. Andreas Jurishich Dalmata.
1568. P. Martinus Kossovich Dalmata.
1571. P. Antonius Matkovich; dein Episcopus.
1574. P. Gregorius Marinovich a Duvno.
1577. P. Gregorius Kuçich Dalmata. Quo mortuo Vicarius electus fuit.
P. Joannes a Derna.
1581. P. Matthaeus a Konjicz.
1584. P. Marianus Aljinich a Suttiska.
1587. P. Franciscus Bolichevich a Ričicze prope Suttiskam. Postea Episcopus.
1590. P. Petrus a Gradovar Salin. Postea Episcopus Sophiae.
1592. P. Marianus Aljinich secundo.
1596. P. Gregorius Masnovich a Fojnicza.
1599. P. Antonius Milankovich. Postea Definitor Generalis.
1602. P. Stephanus Zlatarich a Suttiska.
1605. P. Jacobus a Slapnicza Suttisk.
1608. P. Elias Csakalovich a Fojnicza.
1611. P. Marianus Bilavich a Suttiska.
1614. P. Gregorius Masnovich secundo.
1617. P. Thomas Ivkovich a Fojnicza.
1620. P. Lucas Kaçich Dalmata.
1623. P. Marianus Olovçich a Kreshevo.
1626. P. Thomas Ivkovich secundo. Dein Episcopus.
1629. P. Andreas a Kamengrad.
1632. P. Martinus Bargule prope Varesh Suttisk.
1635. P. Nicolaus Brajkovich a Fojnicza.
1638. P. Marianus Maravich a Plumbo: postea Episcopus ab infidelibus multa passus.

1641. P. Martinus a Rama.
1644. P. Petrus Lipanovich a Fojnicza.
1647. P. Michael Boghetich Dalmata.
1650. P. Matthaeus Benlich a Banja-luka, 1651 Episcopus factus; Vicarius vero Provincialis
P. Andreas a Jajce.
1653. P. Philippus Lendich a Tarnovcze Suttisk.
1656. P. Gregorius Dulgerovich a Gradovar Salin.
1659. P. Franciscus Ogramich a Poxega.
1662. P. Franciscus Milletich a Fojnicza.
1665. P. GeorgiusS abich a Rama, mortuus primo anno, Vicarius electus.
P. Thomas Juraçich de Zajezda Suttisk.
1669. P. Gregorius Kovacsevich ab Imota.
1672. P. Antonius a Travnik.
1675. P. Marcus Vasiljevcsanin Suttisk.
1678. P. Gregorius Kovacsevich secundo.
1681. P. Andreas Shipracsich a Dubocsacz.
1684. P. Antonius Vladmirovich a Gebela, mortuus primo anno, hinc Vicarius dein Provincialis
P. Michaël Radnich. Rexit quinquennio.
1690. P. Gabriel Stanich a Baja per Breve Pontific.
1693. P. Paulus Kaçich Dalmata.
1696. P. Franciscus Budalich Dalmata.
1699. P. Franciscus a Travnik.
1702. P. Gregorius Gabrich a Plumbo.
1705. P. Marcus Bulaich a Suttiska.
1708. P. Andreas Echimovich ab Imota.
1711. P. Petrus Pastirovich ab Illok.
1714. P. Petrus a Lasva Fojnicensis.
1717. P. Philippus Shurkovich ab Imota.
1720. P. Andreas a Kutjevo Slavonita.
1723. P. Augustinus a Salinis.
1726. P. Paulus Nikolich a Shibenik, mortuus anno 1. electus dein Vicarius.
P. Simon Tomashevich.

1729. P. Joannes a Straxemano.
1732. P. Antonius Markovich a Duvno Lect. Jubilatus; sub hoc Dalmatia divisa.
1735. P. Lucas Karaghich.
1738. P. Joannes a Syrmio.
1741. P. Philippus Lastrich ab Ochevia per quadriennium.
1745. P. Franciscus Ivanovich a Poxega.
1748. P. Petrus Pessich a Baja Lect. Jubil.
1751. P. Josephus Jankovich a Volkovarino Lector Jub. dein Definitor Generalis.
1754. P. Antonius Bachich, sub quo Provincia in Bosnensem et Capistranam divisa.
1757. P. Marcus Dobretich primum Custos, dein 1758 Provincialis Minister per Breve Pontificium.
1762. P. Franciscus Bogdanovich a Kreshevo.
1765. P. Bonaventura Benich a Csatichi.
1768. P. Marcus Dobretich secundo dein Episcopus et Vicarius Apostolicus.
1771. P. Petrus Allovich a Kreshevo.
1774. P. Bonaventura Benich secundo.
1777. P. Joannes Skoçibushich a Duvno.
1780. P. Augustinus Okich Lect. Jubil. dein Episcopus, et Vicarius Apostol.
1783. P. Gregorius Iliich a Varesh per Breve Pontific.
1786. P. Joannes Skoçibushich secundo per quadriennium.
1790. P. Franciscus Gracich a Kreshevo.
1793. P. Gregorius a Varesh secundo, Definitor Generalis honorar. Postea Episcopus et Vicar. Apost.
1796. P. Matthaeus Iveka ab Harauzona, seu Jajcze.
1799. P. Lucas Dropuljich a Jezero Kresheviensis.
1802. P. Augustinus Pejcsinovich a Varesh.
1805. P. Matthaeus Iveka secundo.
1808. P. Franciscus Milloshevich a Kreshevo. Mortuus primo anno, dein electus Vicarius Provincialis.
P. Petrus Filipovich a Kreshevo.
1811. P. Dominicus Franich a Varesh Lect. Jubil.

1814. P. Angelus Franich a Kottor.
1817. P. Petrus Kordich a Brochno.
1820. P. Dominicus Franich a Varesh secundo.
1823. P. Marcus Ostoich a Fojnicza.
1826. P. Petrus Kordich secundo.
1829. P. Joannes Kljiaich a Verbovacz.
1832. P. Michael Duich a Livno.
1835. P. Andreas Kujuncxich a Kreshevo.
1838. P. Stephanus Marianovich.

BREVIS
CONVENTUUM EXISTENTIUM
HISTORIA.

I.
Conventus S. Joannis Baptistae
de Suttiska.

